



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Tractatus De Charitate Theologica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

63. Fit 1. Tenet hominem in casu conclusionis nostræ ad sperandam suam salutem, quamvis detur revelatio de ipsius damnatione, si ea revelatio, ut diximus, subsequatur liberum exercitium voluntatis suæ, quo voluit viam salutis amplecti; sed pro libito suo elegit potius pervenire ad finalem impænitentiam: cum enim ea impænitentia finalis, à qua pendet illa revelatio, sit homini libera, nequit impedire potentiam proximam ad sperandum: unde actualis spes salutis, quæ potuit dari in eo instanti, potuit impedire revelationem à peccato finali contra illam spem pendentem; quod sic iterum explicari potest: si Petrus in instanti A, eliciat actum spei Theologicæ, ad quem tenetur, impediet scientiam Dei de peccato contrariam spem, à qua divina scientia pendet illa revelatio: ergo impediet divinam revelationem.
64. Fit 2. Sub hypothefi, quòd alicui fieri posset revelatio de sua æterna damnatione independentem omnino à sua libertate, non posse tunc sperare salutem, quin potius posset eam desperare. Ratio est, quia cum iudicium illud certum de non futuritione Beatitudinis sit pro priori ad ipsius exercitium, non supponit iudicium probabile de futuritione absoluta, neque de futuritione conditionata, si ipse pro libito suo velit; unde homo ille sperare non posset. Rursus in illo priori haberetur iudicium certum de non futuritione Beatitudinis, quin pro libito suo posset obtinere iudicium probabile de futuritione; ergo posset tunc desperare Beatitudinem. Videantur Caspar Hurra-

do disp. 2. difficultate 1. & Coninch. disp. 2. Fit 3. Spem Theologicam per exercitium suum primarium solum tendere, ut unusquisque speret suam Beatitudinem, non verò alienam. Ratio est, quia spes primario tendit ad id, de quo in Patria primario gaudebimus, & quo Beati erimus: sed non gaudebimus primario, & erimus Beati per alienam Beatitudinem, sed per propriam: ergo spes non tendit primario ad sperandam Beatitudinem alienam, sed propriam. Cæterum quia Beati ex aliorum Beatitudine habent etiam gloriam accidentalem ad eum modum, quo damnati ex aliorum damnatione habent majorem pœnam accidentalem; exinde spes juxta plures Theologos potest tendere secundario ad sperandam aliorum Beatitudinem, dum ex eo, aut simili respectu proponatur ipsi speranti bona. Ratio est, quia spes, ut constat ex Augustino cit. num. 1, & ex sæpe dictis in toto tract. est actus concupiscentiæ, ideòque non potest tendere, nisi ad objectum, quod representatur ipsi speranti bonum; ad objectum enim, quod ita representatur, potest tendere per aliquod suum exercitium; cum autem hoc spei exercitium non sit primarium, ut constat ex dictis, superest, ut sit exercitium secundarium; quapropter multipliciter potest homo peccare contra spem, nimirum vel per desperationem, vel per præsumptionem, vel per quodcumque aliud vitium tendens ad impedienda principia necessaria ad spem, ad quam homo tenetur.



TRACTATUS DE CHARITATE THEOLOGICA.

65.

Nequè in Ethymologia, neque in significatione hujus nominis *Charitas* si accipiatur in tota sua latitudine conveniunt Theologi, ut videri potest apud Coninch in præfatione ad hunc tractatum; *Charitas* namque in tota sua latitudine accepta significat amorem, quo res amata nobis chara dicitur, sive ea licita sit, sive illicita; quo in sensu Augustinus serm. 52. de tempore cap. 2. dixit: *Charitas alia est divina, alia humana: alia est humana licita, alia illicita.* Si autem minus latè consideretur, significat amorem cujusvis honestatis; unde idem Augustinus Epist. 29. dixit: *virtus est charitas, qua id, quod diligendum est, diligitur;* aliquando significat personam, quæ diligendò nos sua dona nobis communi-

cat, quo in sensu dicitur. 1. Joannis 4. *Deus Charitas est;* aliquando significat ipsa dona, quæ à Deo nos diligente accipimus. Sic 1. Joannis 3. *videte qualem Charitatem dedit vobis Pater, ut filij Dei nominemur, & simus;* & in hac acceptione sub nomine *Charitatis* venit etiam gratia justificans, ut diximus num. 3. de gratia justificante, & notavit etiam Ripalda in præfatione ad istum tractatum; cæterum nulla ex his acceptionibus est propria *Charitatis*, prout ad hunc tractatum spectat, ut dicemus disputatione sequenti.

* * *

DISPU-

DISPUTATIO I.
DE NATURA, ET OBJECTO CHARITATIS
THEOLOGICÆ.

67. **C**haritas Theologica prout ad præsentem tractatum attinet, significat habitum per se infusum, vel actum illius, quo diligimus Deum propter ipsius bonitatem, quia sibi bonam; quæ in sensu Charitas à Theologis vocatur virtus amicitia in subiecto proportionato ex dictis à num. 150. de gratia justificante, & tradit expressè D. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 1. amicitia namque ex Philosopho libro 8. Ethicorum cap. 9. est illa, qua quis geometriè saltem proportionatus in natura cum aliis rationalibus amat illis bona, illorum tamen gratiâ: amare autem alicui bonum illius gratiâ, nihil est aliud, quàm amare illi bonum, quia ipsi bonum; quapropter Charitas Theologica illa est, qua Deo volumus bonum sive intrinsecum, sive extrinsecum, qua ipsi bonum; & in hoc sensu dixit Augustinus libro de Spiritu, & iterum cap. 32. *Charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non qua nos diligit, sed qua nos facit dilectores Dei.* Ratio est, quia Charitas ex Apostolo 1. Corinthiorum 13. est donum permanens, sive inhærens nobis, proindeque distinctum realiter ab ipso Deo: Charitas autem, qua Deus se diligit, non est distincta à Deo; unde non est illa, qua Deus se diligit, sed qua nos facit dilectores suos; ita, ut quidquid per hæc nobilissimam virtutem amamus, non amemus gratiâ nostri, sed gratiâ Dei; id est, non quia nobis bonum, sed unice quia Deo bonum; si autem amemus, quia Deo bonum solum in aliqua linea, amor ille non erit Charitas perfecta, de qua agimus, sed imperfecta, ut diximus num. 41. de spe; unde si talis amor respiceret subiectum geometriè in natura improporionatum, non esset amicitia: sic non possumus amicitiam habere cum irrationalibus, ut bene urget D. Thomas loco supra citato, atque exinde constat natura hujus virtutis.

SECTIO I.

De objecto materiali, & formali Charitatis Theologicæ.

68. **S**uppono 1. Charitatem esse nobilissimam omnium virtutum Theologorum, quæ reperiuntur in via. Ratio est, quia ita docemur ab Apostolo 1. Corinthiorum 13. dicente: *manent fides, spes, Charitas, tria hæc, major autem horum est Charitas.* Ratio autem, est quia tendentia charitatis est nobilissima inter omnes viatoris virtutes: quandoquidem in illius exercitio nullatenus attendimus ad commodum, utilitatem, & bonum nostrum, sed quasi spoliatur quocunque affectu erga nos, R. P. Germa. Theolog. Tom. 1.

ut ea, quæ amamus, amemus, quia Deo bona, & placentia ex numero superiori; quæ certe est tendentia nobilissima, qua reliquas viatoris virtutes excedit, quin potius ex parte objecti sui formalis, ut infra videbimus, & diximus num. 256. de fide, attingit purè prædicatum divinum absque mixtione prædicati creati, quæ maxima est hujus nobilissimæ virtutis prærogativa. Dixi ex industria, Charitatem esse nobilissimam omnium virtutum, quæ reperiuntur in via. Ratio est, quia est difficultas non modica apud Theologos, an habitus luminis gloriæ sit nobilior habitu Charitatis, vel econtrâ. Sunt enim Authores, qui jam unam, jam alteram sententiam defendunt, & pro utraque militant rationes verè non contemnendæ, quas dedimus à num. 212. de Beatitudine, vide ibi dicta.

Suppono 2. Objectum materiale Charitatis Theologicæ sumptum multiplex esse; nam aliud se habet ut finis cui respectivè ad Charitatem, & est substantia rationalis, cui volumus bonum in ordine ad æternam suam Beatitudinem: unde D. Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 8. ad secundum de inimicis ait: *non autem nobis sunt contrarii, in quantum homines sunt, & Beatitudinis capaces, & secundum hoc debemus eos diligere,* & art. 12. in Corpore Resp. dicendum, quod sicut dictum est Amicitia Charitatis super communicatione Beatitudinis fundatur: aliud est objectum materiale per modum finis qui, & est bonum, quod ei substantiæ rationali volumus, aliud ut medium ad finem qui obtinendum, quod potest esse Creatura irrationalis, vel quæcunque alia acta ad modum irrationalis, ut natura Dæmonis, vel damnati; sic quando ex amore Charitatis erga Deum volumus medium utile ad hoc, ut ex suis creaturis honor, & gloria extrinseca in Deum redundet, Deus dicitur objectum materiale, & finis cui, gloria extrinseca dicitur objectum materiale, & finis qui; res autem illa utilis ad hoc, ut Deo veniat hic externus honor, & gloria, dicitur objectum materiale ut medium ad finem qui obtinendum; Deus autem in se rigorosè loquendo neque est ens naturale, neque supernale, sed Author naturalis, & supernaturalis: naturalis, quidem in ordine ad entia naturalia; & supernaturalis in ordine ad entia supernaturalia ut dixi à num. 39. de virtute Pœnitentiæ, quare Charitas Theologica, de qua agimus, utpote supernaturalis attingit Deum ut Authorem supernaturalem.

Suppono 3. Objecta materialia minùs præcipua Charitatis Theologicæ utpote affecta per convenientiam à bonitate divina, à qua redduntur amabilia, debere amari propter bonitatem

tatem divinam superne amatam: unde necesse est, ut illis applicetur divina bonitas, quæ illa reddat amabilia; ratio est, quia licet amemus amicum, non tamè amamus reliqua omnia propter ipsum; non enim amamus propter amicum injurias ipsi factas, quia ad hoc non concipimus prudenter applicatam esse amici bonitatem, sed amamus propter bonitatem amici, quam diligimus, ea objecta, quorum amorem judicamus futurum esse amico gratum; sic enim prudenter concipimus ea objecta esse sufficienter denominata, & affecta ad amandum illa propter amici bonitatem; idcirco ea objecta, quæ attingit amor noster propter bonitatem divinam, qui amor Deo placet, sunt quidem sufficienter affecta à bonitate divina, ut ea amemus ex Charitate erga Deum; tales dicuntur esse ab omnibus Theologis omnes creaturæ rationales, quæ sunt in via, vel in possessione Dei; nam quæ sunt in possessione, sunt Deo conjunctæ per amorem, & amicitiam, & cuilibet gratus est amor suorum amicorum; quæ autem sunt in via, saltem amantur à Deo per amorem Charitatis erga ipsum, ex quo tribuit ejus auxilia, quibus possit ad amicitiam Dei pervenire, ut diximus in tract. de gratia à num. 385. & in Providentia à num. 992. quod sufficiens est, ut earum amor sit Deo gratus, atque ut à bonitate divina reddantur amabiles tanquam objectum *cui* per respectum ad Beatitudinem; quapropter ut optimè notavit Oseea Deus applicuit creaturis suam bonitatem ex vi elevationis ad gratiam, & Beatitudinem, ideòque manet applicata, dum creaturæ sunt in via, vel in Patria, ut eas tanquam objectum *cui* amemus, id est ad modum rationalium communicantium in respectu ad Beatitudinem; vel ut eas amemus ad modum irrationalium purè ut objectum *quod*, si non habeant eam communicationem: exinde

71. Suppono 4. Inter objecta, quorum amor Deo gratus est, alia reddi à bonitate divina amabilia, ut objectum materiale *cui* relatè ad Charitatem, alia ut objectum purè materiale, quod amatur, sed non relatè ad Charitatem erga ipsum; ut objectum materiale *cui* ita explicatum, redduntur amabilia ea objecta, quibus propter bonitatem divinam possumus velle aliquid, ratione cujus tendant ad divinam amicitiam, vel in ea persistant; sic propter Deum summè dilectum possumus velle Petro gratiam, qua constituatur amicus Dei, vel qua persistat in amicitia, vel etiam auxilia, quibus tendat ad talem amicitiam; unde cum solæ substantiæ rationales, quæ nondum sunt in termino irrevocabiliter exclusæ ab æterna Beatitudine, sint capaces amicitiae Dei, illæ duntaxat poterunt esse objectum materiale *cui* Charitatis Theologicæ in hac acceptione; ut objectum purè materiale redduntur à bonitate Dei amabilia ea objecta, quorum amor gratus est Deo, vel in quibus manifestantur, & relucet prædicata divina; unde licet omne ob-

jectum materiale *cui* sit etiam objectum materiale, quod amatur; at non e contra, quandoquidem in plurimis inanimatis, quorum amor placet Deo, atque in ipsis damnatis, ut dicemus à num. 92. relucet perfectiones divinas, quod sufficit, ut sint objectum materiale, & non relucet capacitas amicitiae, qua expertes sunt damnati; & creaturæ inanimatæ, quæ quidem capacitas, ut constat ex dictis, requiritur ad objectum materiale *cui* Charitatis; his positis

Afferro 1. Licet omnia bona, quæ propter bonitatem divinam super omnia amatam possumus amare Deo, vel aliis, sint objectum materiale Charitatis Theologicæ; at objectum materiale præcipuum, & primum, & quidem per modum finis *cui* est ipse Deus. Probat 1. illud est objectum materiale Charitatis Theologicæ, quod possumus amare propter divinam bonitatem, sive quia Deo placet; talia autem sunt ea omnia, quibus applicata est divina bonitas ex dictis à num. 78. ita tamen, ut ea amemus, quia Deo bona, & placencia, cum hæc sit rendentia Charitatis ex dictis num. 75, sed exinde, licet omnia alia bona, quæ propter bonitatem divinam super omnia amatam possumus amare Deo, & aliis, sint objectum materiale Charitatis Theologicæ; at objectum materiale præcipuum, & primum, & quidem per modum finis *cui* est ipse Deus; siquidem inter ea omnia bona præcipuum bonum, quod amamus, est Deus, simulque est bonum illud, cui ea bona amamus: ergo &c.

Confirm. Charitate Theologica amamus Deum ipsimet Deo; laudamus enim de eo, quod sit æternus, infinitus, immensus, atque uno verbo, quod sit Deus; quod nihil est aliud, quam amare Deum ipsimet Deo. Rursus ex eodem Charitatis affectu volumus Deo creaturas, ut sunt bonum externum ipsius, sive prout ex illis redundat honor, & gloria extrinseca in Deum; peccata verò, quamvis non velimus, quia sunt offensa Dei, illique displicent, atque ab eo prohibentur; at ex supplicatione, quod sint, gaudemus, quia in eorum punitione, & remissione relucet divina justitia, & Misericordia, quam amamus, quia Deo bonam; sed in eo stat, quod alia creaturæ sint objectum materiale, & Deus sit objectum materiale præcipuum per modum finis *cui*: ergo &c.

Probat 2. Objectum materiale magis præcipuum Charitatis Theologicæ per modum finis *cui* est illud objectum præcipuum, quod per Charitatem amamus, & cui referimus reliqua omnia, quæ per Charitatem diligimus; atquale objectum, ut ex terminis patet, est solus Deus; ergo solus Deus est objectum materiale præcipuum, & quidem primum finis *cui* Charitatis Theologicæ. Rursus objectum materiale *cui* minus præcipuum sunt illa creaturæ, circa quas placet Deo amor noster propter divinam bonitatem per respectum ad communicationem

cationem in Beatitudine, vel tanquam amor amicorum Dei, vel tendentium ad Dei amicitiam per media, quae illis Deus ex amore largitur; tales autem sunt omnes creaturae rationales, quae sunt in via, vel possessione Dei, ut constat ex num. 79. creaturae namque irrationales, ut constans est apud omnes Theologos, non sunt objectum materiale cui adhuc minus praecipuum relate ad Charitatem, quamvis ex amore Dei possimus illis velle sua praedicata, ut eluceant attributa Dei, quae in illis manifestantur; unde supra talem amorem requiritur aliquid aliud a Theologis ad objectum materiale cui minus praecipuum Charitatis Theologicae; quod nullum aliud est assignabile, nisi quod supra assignavimus cum D. Thoma num. 17. nempe ut tale objectum sit amicum, & tendat ad amicitiam Dei, quod convenit omnibus creaturis rationalibus, quae sunt in via, vel in possessione Dei; non autem irrationabilibus, aut damnatis: sed haec est doctrina nostrae assertionis, ut expendenti constabit: ergo &c.

75. Quapropter Christi Domini Humanitas, Beatissima Virgo, Sancti Angeli, omnes Beati, nosque ipsi sumus objectum materiale, cui minus praecipuum Charitatis Theologicae, tum etiam omnes homines, etiam peccatores, & infideles, dum sunt in via; secus autem Dæmones, aut damnati. Ratio est, quia amor erga peccatores, & infideles propter divinam bonitatem, ut ad amicitiam Dei perveniant, Deo placet tanquam amor circa eos, quibus ex amore suo largitur Deus auxilia, ut ad ipsius amicitiam perveniant: unde habent respectum communicationis ad Beatitudinem; Dæmones autem, aut damnati non ita se habent; cum Deus non eos sic diligit, neque conferat media, ut perveniant ad ipsius amicitiam; sed potius habet Decretum efficax non conferendi in posterum ullum medium: etenim licet creaturae rationales, quae nondum sunt in possessione Dei, quando sunt in via, respiciunt Deum tanquam centrum, in quod tendant; sicut puncta circuli respiciunt medium tanquam centrum, ad quod, lineae tendunt, sicque denominantur à bonitate divina sufficiente, ut possint amari tanquam objectum materiale cui minus praecipuum; at verò Dæmones, & damnati, cum ab hac ordinatione totaliter, & irrevocabiliter devierint, nequeunt ita denominari à bonitate divina, ac proinde nequeunt esse objectum materiale cui minus praecipuum Charitatis Theologicae: ita Theologi omnes, quos vide, praeter unum Ripaldam, qui contrarium sentire videtur disp. 37. num. 9. licet postea num. 16. nostram, & omnium Theologorum sententiam amplectatur.

76. Affero 2. Objectum formale Charitatis Theologicae est bonitas divina non quidem ut nobis, sed ut Deo bona. Probat 1. Amor Charitatis est amor amicitiae erga Deum in subiecto proportionato ut, diximus num. 75. &

dicemus num. 86. atqui amor amicitiae est ille quo aliquis amatur propter suam bonitatem, non quidem prout nobis, sed prout illi bonam: ergo amor Charitatis est ille, quo amamus Deum propter suam bonitatem, non quia nobis, sed quia Deo bonam: sed exinde bonitas divina non quidem prout nobis, sed pro ut Deo bona est objectum formale Charitatis Theologicae: ergo &c. Confirm. 1. Illud est objectum formale Charitatis Theologicae, quod est ratio, propter quam Charitate Theologica aliquid amamus: atqui ratio, propter quam Charitate Theologica aliquid amamus, est bonitas divina, non quidem prout nobis, sed prout Deo bona; nullum siquidem objectum amamus Charitate Theologica, nisi prout affectum bonitate divina, & prout Deo placet amor ille, quod perinde est, ac amare propter bonitatem divinam, quia Deo bonam, ut constat ex num. 41. de spe: ergo &c. Confirm. 2. ex Aristotele lib. 8. Ethicorum cap. 7. ubi ait: *amicum amico velle bona ejus ipsius causâ*; unde per Charitatem volumus bona Deo ipsius causâ, sive quia Deo bona; cum enim Charitas sit nobilissima virtutum ex Apostolo cit. num. 76. opus est, ut habeat nobilissimum motivum, nempe bonitatem ipsius, quia ipsi bonam, proindeque per Charitatem amamus Deo bonum, quia ipsi bonum; sed in eo stat, quod objectum formale Charitatis Theologicae sit bonitas divina non quidem ut nobis, sed ut Deo bona: ergo &c.

77. Probat 2. ex eo, quod finis à Philosophis cum Aristotele definiatur id, cuius gratia aliquid fit. Bonitas propria ipsius finis est objectum formale actus amantis media propter finem, quin sufficiat bonitas sola mediorum: ergo ex eo, quod Charitas Theologica sit illa, qua amamus aliquid, quia Deo bonum, sive ipsius gratia, bonitas divina, quae Deo bona erit objectum formale Charitatis Theologicae, quin sufficiat sola utilitas, aut bonitas mediorum. Confirm. tendentia amicitiae, quae est propria Charitatis, valde diversa est à tendentia concupiscentiae, quae est propria spei; neque ullum aliud assignari potest verum discrimen, nisi quod licet divina bonitas moveat ad actum spei eliciendum, non tamen movet ad amandam illam, quia Deo, sed quia nobis bonam; at respectu Charitatis divina bonitas movet ad amandam illam non quidem ut nobis, sed ut Deo bonam; sed in eo stat, quod objectum formale Charitatis Theologicae sit bonitas divina non prout nobis, sed prout Deo bona: ergo &c. Ex dictis

78. Fit 1. Non posse dari in hac Providentia actum Charitatis Theologicae, qui non sit actus amicitiae inter Deum, & hominem elicientem. Ratio est, quia licet ad actum amicitiae supra amorem benevolentiae praerequiratur proportio aliqua in natura inter amicos, ut dixi à num. 121. de gratia justificante; haec proportio jam habetur in instanti ipso, in quo

E e e e e 3

homo

homo Deum super omnia diligit vero actu Charitatis super omnia; nam proportio ista naturæ stat in gratia, quæ est supernaturalis natura participata, & homini inherens, quæque est jus ad divinam redamationem, in quo stat amicitia habitualis; hac autem supposita perportione naturum inter Deum, & hominem, actus Charitatis est una actualis amicitia; idcirco si in alia providentia Deus voluisset, quod actus Charitatis esset ultima dispositio ad gratiam, & voluisset, quod posset elici ab homine, qui maneret peccato leihali infectus, talis actus Charitatis esset amor benevolentia erga Deum; cum Deum amaret propter suam bonitatem, non tamè esset actus amicitia juxta expressam D. Thomæ doctrinam 2. 2. quæst. 23. art. 2. in Corpore, ubi sic habet: *sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitia; sed requiritur quadam mutua amatio, quia amicus est amico amicus, talis autem mutua benevolentia fundatur super aliquam communicationem; cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam Beatitudinem communicat, super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari*; unde actus amoris absque ea communicatione non esset actus amicitia erga Deum; cum non conjungeretur in eodem instanti cum subiecto proportionato ad amicitiam, sive habente naturam proportionatam, & requisitam inter amicos: ablatâ enim gratiâ, quæ est quasi natura in ordine superno non, maneret in homine proportio ad amicitiam cum Deo requisita; unde Aristoteles, qui hanc naturam proportionatam non agnovit, neque agnovit inter Deum, & hominem veram amicitiam, ideòque libro secundo Magnorum Mortalium cap. dixit: *alienum namque fuerit, si quispiam dixerit Jovem amare & 8. Ethicorum cap. 7. id autem perspicuum est, si multa virtutis, & vitij affluentia, aut alicujus alterius distincta fuerit; non enim amplius sunt amici; sed nec esse quidem dignum putant; hoc autem in Diis clarissime patet, qui plurimum omnibus bonis præstant, item in Regibus. Videatur libro secundo Magnorum Mortalium cap. 15. ubi Aristoteles distinguit benevolentiam ab amicitia.*

80. Fit 2. Bonitatem divinam esse objectum formale quod Charitatis. Ratio est, quia objectum formale quod est illud, quod non solum est ratio movens ad amorem, sed quod etiam necessariò amatur per actum ex ejus motione elicatum, ut diximus à num. 13. de fide: atqui per actum Charitatis non solum movemur ad amanda objecta propter bonitatem divinam; sed etiam eandem divinam bonitatem propter ipsam amamus; etenim divina bonitas non aliter movet ad Charitatem, nisi repræsentata ut bonum amabile, sive ut denominans per convenientiam: ergo est objectum formale quod Charitatis Theologica; quapropter cum imperceptibile sit, quod amemus Deo aliquod prædicatum, quia Deo bonum, quin amemus

Deo saltem virtualiter omnia ea, quæ ipsi sunt bona; nulla divina perfectio, sive divina bonitas potest nobis proponi movens ad actum Charitatis Theologica; quin moveat ad amandum coram Deo propter se; atque exinde conciliari potest diversitas sententiarum circa bonitatem divinam, quæ est objectum formale Charitatis.

Aliqui enim Thomistæ, quos suppresso nomine citat Ripalda disp. 35. sect. 1. censent, divinam hanc bonitatem esse attributum speciale ab essentia divina, & reliquis attributis distinctum. Caspar Hurtado disp. 3. de Charitate difficultate prima docet, bonitatem divinam, quæ est objectum formale Charitatis stare in aggregato ex omnibus perfectionibus absolutis, & relativis, quibus Deus physice perfectus est, & minime defectuosus, proindeque illud solum aggregatum esse objectum formale Charitatis Theologica; alij vero cum Castillo, & Oviedo Controversia 4. puncto 1. censent, divinam bonitatem stare in sola essentia divina; reliqua verò attributa esse tantum proprietatem, proindeque solum essentiam divinam esse objectum formale Charitatis; alij verò cum Quente Hurtado disp. 128. docent, divinam bonitatem esse quodlibet prædicatum, & quodlibet attributum divinum, prout dicit ordinem ad alia prædicata, & attributa divina, quibus Deus perficitur; non verò prout quodlibet consideratur secundum se absque tali respectu; unde objectum formale Charitatis est tale prædicatum divinum cum eo respectu; ad eum quippe modum, quo ille, qui amat exercitium, amat quamlibet illius partem in ordine ad alteram.

Cæterum istæ omnes sententiæ, si bene expendantur, in eandem recidunt; quandoquidem amor Charitatis ex eo, quod amet aliquid, quia Deo bonum, sive sit intrinsecè, sive sit extrinsecè bonum, ex eo, quod unice amet, quia Deo placet, unde divina bonitas respicitur tanquam objectum formale per convenientiam, quod perinde est, ac respicere, quidquid per Charitatem amamus in ordine ad Deum, quatenus Deus per illud bene se habet, & nullatenus defectuosè; quod perinde est, ac respicere bonitatem divinam secundum omnia sua prædicata divina, atque perinde ac respicere unum prædicatum divinum ut dicens ordinem ad altera; sicut enim eo ipso, quod amem aliquid, quia Petro bonum, bonitas Petri est objectum formale movens per convenientiam, vel saltem aliquid prædicatum Petri ut dicens respectum ad reliqua, quibus Petrus bene se habeat; ita pariter respectu Dei. Ratio autem, & quidem Philosophica est, quia non possum amare aliquid præcisè, quia Petro bonum, si disciplinam in aliquo bono Petri, cognito ut Petro bono, ideòque non possum ita amare, quin respiciam prædicata Petri, vel unum Petri prædicatum cum respectu ad altera; ergo neque possum amare aliquid præcisè, quia Deo bonum,

bonam, si displiceam in aliquo, quod cognosco esse Deo bonum; unde non possum non attingere vel omnia prædicata divina, quibus Deus bene se habet, & non defectuose, vel unum cum respectu ad alterum.

83. Fit 3. Nihil officere assertionibus nostris, si ve dicamus relationes divinas, & actus liberos, & contingentes esse perfectiones Dei, ut aliqui docent, si ve dicamus non esse perfectiones Dei, ut alij docent; ratio est, quia si sint Dei perfectiones, jam possumus ea prædicata velle, quia Deo bona, ac proinde cum respectu ad ea omnia, quibus Deus bene se habet, & non defectuose; si verò non sint perfectiones Dei, amamus illa, quia Deus exigit identitatem cum illis, ac proinde divina bonitas, quæ ea prædicata sibi exigit, movet per convenientiam; quod satis est, ut terminetur verum actus Charitatis Theologicæ; ubi notandum est, ea prædicata contingentia, & relativa, quamvis supponantur non esse perfectiones, quibus perficiatur Deus, eò quòd essentia divina sit simpliciter infinitè perfecta, nec possit ulterius perfici, quòd est se ipso simpliciter perfectum, licet dicat exigentiam essentialem ad alia prædicata ad eum modum, quo Deus non potest perfici à creaturis, quia creaturæ non sunt sibi essentialia, licet dicat exigentiam essentialem ad creaturas possibili; nihilominus prædicata divina si ve relativa, si ve contingentia esse perfectiones, quibus res à Deo distinctæ perfici possunt; quandoquidem eo ipso, quòd à Deo distinguantur, limitatæ sunt, & non simpliciter infinitæ, ideòque capaces, ut à quocunque prædicato divino perficiantur. Sic personalitas divina Verbi, quamvis non possit perficere essentiam divinam, nihilominus perficit quammaximè humanitatem Christi Domini, cum qua hypostaticè unitur; verum de his latius in Tract. de Trinitate.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

84. Objicies 1. contra 1. Assertionem: si omnia bona, quæ propter bonitatem divinam super omnia amatam possumus aliis amare, essent objectum formale Charitatis Theologicæ, etiam possemus per Charitatem Theologicam amare damnatos; sed damnatos non possumus amare per Charitatem Theologicam: ergo &c. Probat maj. sicut ex Charitate erga Deum gaudemus de felicitate æterna Beatorum, ita ex Charitate erga Deum possumus dolere de æterna infelicitate damnatorum; possumus enim velle, quòd damnati non fuissent damnati, & quòd habuissent auxilia efficacia ad salutem consequendam, & laudandum Deum in æternum: sed hoc est eos amare per Charitatem Theologicam: ergo &c. Resp. dist.

maj. possemus amare damnatos tanquam purum objectum quod, conc. tanquam objectum cui relatè ad Charitatem Theologicam, nego maj. & dist. mi. nego conseq. Ad probat, distinctis eodem modo præmissis nego conseq. quia, ut tristaremur, & doleremus respiciendo damnatos ut objectum formale cui minus præcipuum relatè ad Charitatem Theologicam, opus erat, ut divina bonitas esset nunc illis applicata, reverèrque eos amore dignos per communicationem in ordine ad Beatitudinem ex dictis à num. 77. cùmque non ita sit applicata, sed potiùs sint damnati irrevocabiliter exclusi à tali communicatione, exinde non possumus per Charitatem Theologicam dolere, aut tritari de æterna infelicitate damnatorum respiciendò illos ut objectum formale cui minus præcipuum Charitatis Theologicæ; unde solùm possumus habere aliquos actus velleitatis, vel si mavis affectivè efficaces, quibus desideramus, ut non peccassent, in circumstantiis illis, in quibus poterant, non peccasse, & ut sic evitassent damnationem; at damnatione jam supposita non tristamur de illa, sed potiùs approbamus ex Charitate erga Deum, ut habet D. Thomas 2. 22. quæst. 25. art. 11. in Corpore, ubi ait: *illud autem bonum vite æternæ, quòd respicit Charitas spiritibus illis à Deo æternaliter ex Charitate velle non possumus; hoc enim repugnaret Charitati Dei, per quam ejus justitiam approbamus.*

85. Quare sicut desiderare, quòd objectum aliquod sit lucidum, ut possim illud videre, non est actu illud videre; ita desiderare, quòd damnati habuissent auxilia efficacia, quibus constituti erant in statu, in quo possent amari ut objectum cui relatè ad Charitatem Theologicam, non est illos amare Charitate Theologica; & uno verbo, cùm Charitas Theologica respiciat objectum materiale suum denominatum per convenientiam à bonitate divina, ad quam accedere potest, & damnati irrevocabiliter ab hoc ordine jam sint exclusi, exinde nequaquam possunt terminare talem actum Charitatis Theologicæ respicientem illos, ut objectum materiale cui: unde damnatos, aut dæmones non possumus amare ex Charitate erga ipsos, quæ respiciantur ut objectum materiale cui minus præcipuum; sed ex Charitate erga Deum, quatenus ad ostensionem gloriæ Dei est illis applicata divina bonitas; idcirco D. Thomas locò supra citatò ita concludit: *per hunc modum & naturam demonum etià ex Charitate diligere possumus, in quantum scilicet volumus illos spiritus in suis naturis conservari ad gloriam Dei, quòd est illos amare ad modum rerum irrationalium, ut purum objectum materiale, ex dictis num. 79.*

86. Objicies 2. contra 2. Assertionem: actus Charitatis habet pro objecto formali non solùm bonitatem divinam physicam; sed etiam moralem: atqui plura attributa v. g. immensitas, omnipotentia, & id genus alia solùm habent

habent bonitatem physicam: ergo non possunt esse objectum formale actus Charitatis Theologicæ; atqui possumus ea amare, quia Deo bona: ergo non sufficit ad actum Charitatis amare aliquid Deo bonum, quia Deo bonum, conc. sub alia consideratione, neg. maj. & diffini. solum habent bonitatem physicam præscindentem à morali transeat, excludentem moralem, aut non potentem attingi, quia Deo bonam, neg. mi. & conseq. Unde mi. subsumpta quantumvis vera, nihil affert contra nos. Ratio est, quia sicut bonitas moralis attingi potest, quia Deo bona; ita etiam attingi potest bonitas physica; quod satis est ad objectum formale Charitatis Theologicæ, sive illa prædicata amemus Deo gratiâ Dei, ut supra diximus; quin potius omnia prædicata necessaria absoluta sunt de essentia physica, & metaphysica Dei, ac proinde realiter, & virtualiter identificata cum bonitate divina, quæ inclinatio ad honestum, & conforme naturæ ut rationali: sive rebus placentibus Deo, qui est prima regula morum.

87. Objicies 3. Licet possumus amare proximum propter bonitatem Dei, at non possumus illum amare Charitate Theologica: ergo bonitas Dei non est sufficiens objectum formale Charitatis Theologicæ: probatur antecedens. Per eandem virtutem Patriæ, per quam Deum colimus propter propriam Excellentiam Dei, non colimus homines propter Dei Excellentiam: ergo per eandem virtutem Charitatis, per quam amamus Deum propter propriam bonitatem, non amamus homines propter bonitatem Dei. Resp. communiter negando antec. & ad probat. conc. ant., & negando conseq. Rationem discriminis affert D. Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 1. ad 2. per hæc verba: *Ad secundum dicendum, quod amor respicit bonum in communi, sed honor respicit proprium bonum honorari; deferitur enim alicui in testimonium proprie virtutis, & ideo amor non diversificatur specie propter diversam quantitatem bonitatis diversorum, dummodo referantur ad aliquod unum bonum commune; sed honor diversificatur secundum propria bona singulorum: unde eodem amore Charitatis diligimus omnes proximos, in quantum referuntur ad unum bonum commune, quod est Deus; sed diversos honores diversis deferimus secundum propriam virtutem singulorum; & similiter Deo singularem honorem patriæ deferimus propter ejus singularem virtutem.* Hæc D. Thomas.

88. Plures sunt Theologi, qui cum vasquez de Adoratione disp. 6. cap. 1. & tomo. 5. in 3. partem disp. 98. cap. 2. & cum Turiano disp. 73. Dubio 1. neutiquam possunt huic solutioni acquiescere. Ratio eorum est, quia sicut honor in communi respicit excellentiam in communi, & honor specialis excellentiam specialem; ita amor in communi respicit bonum in communi, & amor specialis bonum speciale, proindeque sicut possumus honorare S.

Petrum v. g. propter suam excellentiam, ita possumus amare proximum propter suam bonitatem: ergo sicut virtus Patriæ, qua adoramus Deum propter ipsius excellentiam, non potest se extendere ad adorandum hominem propter excellentiam Dei; neque virtus Charitatis, quam amamus Deum propter bonitatem divinam, poterit se extendere ad adorandum hominem propter bonitatem Dei.

Propter hoc argumentum Contenton dicit 89 4. cap. 1. ex doctrina, quam antea tradiderat P. Granadus tract. 1. disp. 5. & Ripalda disp. 37. sect. 4. mentem D. Thomæ aliter exponendam censet; itaque docet, sensum D. Thomæ hunc esse, nimirum amorem ferri in bonum commune non quidem quia non possit respicere bonitatem particularem personæ amata, sed quia necesse non est, ut semper moveatur ex illa, cum etiam possit moveri ex aliena bonitate; honorem verò respicere bonum particulare, nempe excellentiam solius personæ, non verò excellentiam alienam; nec obest, quod unus possit propter alium honorari, nempe Sanctus propter Deum, quia tunc excellentia Dei non est motivum specificans cultum Dulciæ, sed propria duntaxat ipsius Sancti excellentia; ad eum modum, quo Sacerdotes, Prælatos, Proteges veneramur, quia pollent autoritate, vel à Deo, vel à Republica, vel à Rege eis concessa; quæ quidem est excellentia quædam Moralis ipsorum propria, proindeque in hoc sensu deferuntur eis reverentia propter propriam eorum excellentiam.

Hæc solutio, etsi doctrinam valde probabilis continet, tamen non est satis clara, proindeque ad perfectam intelligentiam scire oportet determinationem habitam à bonitate divina, ratione cujus ipsos etiam peccatores amamus, nõ reddere in se ipsis moraliter bonos eos, qui præcisè à tali divina bonitate ita afficiuntur; non enim dici potest moraliter bonus in se ipso peccator eo præcisè, quod sit amabilis propter bonitatem divinam, sed redditur bonus purè respectivè, scilicet capax, cui propter divinam bonitatem ea desiderentur, quæ Deo placent, & ad quæ paratus est Deus peccatorem perducere, ut Deum ipsum obtineat, si per peccatorem non steterit; atque in hoc sensu clarè patet, peccatorem non dici actu bonum in se ipso, sed respectivè bonum, nimirum capax obtinendi bonitatem, quam habebit, si per ipsum non steterit; hæc autem bonitas respectiva satis est, ut propter bonitatem divinam amentur creaturæ rationales, cum ad hoc applicata sit illis divina bonitas, ut constat à num. 78.

At pura respectiva excellentia moralis non sufficit ad adorationem, sed supponit in persona dignitatem, à qua specificatur actus adorationis; sic imagines sacras adoramus propter ipsarum dignitatem, cum reverè in se ipsis Sacrae sint, ut constat à num. 117. de fide, ita ut si res aliqua in se ipsa dignitatem aliquam solutam

solutam non habeat, non possit terminare adorationem; cum autem possit terminare amorem, quamvis res illa in se ipsa absolutam bonitatem non habeat, sed tantum sit bona respectivè; exinde nulla tenet paritas ab actu Charitatis ad actum adorationis. Atque ista est mens D. Thomæ, dum docet, quod amor respicit bonum in communi, item bonum præscindens ab absoluto, & respectivo rei; quæ amatur; sed honor respicit proprium bonum honorari, id est, non potest res honorari, quin in se aliquam propriam, & absolutam excellentiam habeat.

92. Quapropter si res aliqua in se habeat excellentiam absolutam sibi propriam, & applicatam, jam erit veneratione digna, & tunc poterit adorari vel propter suam propriam excellentiam, vel etiam propter excellentiam alienam, quandoquidem est subjectum capax adorationis, cujus quidem capax non est, si in se illam dignitatem absolutam non habeat; unde cum subjectum incapax adorationis adorari non possit, non poterit adorari propter alienam dignitatem, quod in se nullam absolutam dignitatem habet; hæc autem est ratio, quare possumus adorare plura à Deo distincta adoratione Patriæ respectiva, quia & in se res sacræ sunt, atque ipsi applicata est divina excellentia, ut non solum propter propriam ipsorum dignitatem possint inferiori cultu adorari, verum etiam propter divinam dignitatem adorari possint adoratione respectiva Patriæ; respectiva inquam, nam adoratione absoluta Patriæ solus Deus adorari potest; sic adoramus Lignum Crucis, Christi Domini Humanitatem, & juxta plures Theologos adorari etiam potest Beatissima Virgo propter respectum ad divinum Verbum, quod ventre gestavit, à quo non minus fuit dignificata, quam Lignum Crucis; quamquam hæc adoratio non publicè, sed cautè adhibenda est ad vitandum scandalum in rudibus, & imperitis, ne judicent, venerari Deiparam tanquam Deum.

93. Adoratio autem ista respectiva, quæ jam supponit excellentiam propriam rei adorandæ, non potest omnibus rebus adhiberi, sed illis tantum, quibus excellentia divina applicata sit ad adorationem; nec aliter melius possumus eam adorationem inferre, quam ex usu Ecclesiæ, quæ res aliquas ut sacras veneratur, & insuper ut habentes applicatam excellentiam divinam propter Christi Domini contactum, alias autem non ita; neque agnoscit ut sacras, vel propter erroris periculum ad evitandam Idololatriam, quod semper facit circa ventia irrationalia: sic adorare non licet asinum, supra quem sedit Christus, quin potius, cum hæc applicatio pendeat à voluntate Dei, quæ per Ecclesiam nobis maximè nota sit, expedit ad Ecclesiæ usum recurrere, ne ullus error immisceatur; sic principes infideles poligami, seu qui plures habent uxores, non omnibus uxoribus æqualem suam excellentiam

R.P. Gormaz Theolog. Tom. I.

æqualiter communicant ad æqualem honorem illis exhibendum, licet omnes æqualiter sint uxores, sed uni tantum, illi nempe, cui volunt; sic fecit Rex Assuerus cum Regina Valthi, & postea cum Ester, ut deferrentur illi honores debiri Reginæ, quod non fecit cum aliis uxoribus, quas tunc habebat.

Idem fecit Salomon cum filia Pharaonis Regis Egypti, quod non fecit cum aliis ipsius uxoribus, idemque fertur de facto facere cum suis uxoribus Imperatorem Turcharum, aliisque principes infideles poligamos; inter adorationem autem Patriæ absolutam, & respectivam non est hoc grande discrimen, quod rem illam, quam adoramus adoratione respectiva Patriæ, non adoramus super omnia, sed adoramus Deum super omnia, cui illa excellentia essentialiter convenit; unde rem, quam adoramus adoratione Patriæ absoluta, adoramus super omnia: sic quando amamus proximum propter Deum, non amamus super omnia proximum, sed Deum: at quando amamus Deum propter suam bonitatem, amamus illum super omnia.

Idcirco si Deus velit applicare alicui Sancto excellentiam suam, ut adoraretur adoratione Patriæ respectiva, hoc facere posset, ut bene notavit Osea disp. 2. de Charitate sect. 4. num. 49. neque obstarer periculum Idololatriæ; siquidem posset Deus quàm plurimis modis illud impedire; sicut enim Deus olim communicavit suam excellentiam Sacerdotibus Legis scriptæ, eamque hodie communicat Sacerdotibus Legis gratiæ ad faciendos illos honorabiles honore Religioso, quamvis non Patriæ; exercemus enim actum Religionis, quando Sacerdotes ut tales honoramus; ita potuisset eis communicare suam excellentiam ad reddendos illos honorabiles honoratione respectivè Patriæ, quo pacto talis honor non maneret in illis ultimare; sed transiret ad Deum vel potentialiter, vel formaliter, ideoque super omnia honoraretur solus Deus, ut diximus numero superiori; quod autem de facto eam excellentiam suam non applicaverit, exinde haberetur congruentia, quod erat magnum Idololatriæ periculum; quanquam enim Deus absolute potuisset ea omnia pericula facile evitare, ut supra diximus, attamen cum in hac ordinaria providentia non ita illa anteverterit, congruum fuit, ut suam excellentiam non ita applicaverit illis creaturis rationalibus; unde sicut Deo non fuit necessarium, sed liberum ea pericula non evertere; ita non fuit necessarium, sed liberum suam excellentiam eo modo non applicare, videatur Bernal disp. de Incarnatione num. 57. ubi huic doctrinæ maximè faver: exinde.

Resp. jam in forma ad argumentum positum num. 94. neg. ant. ad probationem conc. ant. & nego conseq. Ratio est, quia non sunt capaces adorationes omnes illi homines, qui sunt capaces amoris Charitatis propter Deum & liquidem

F f f f

96.

liquidem ad eam capacitatem proximam adorationis requiritur, quod in se habeant aliquam propriam ipsorum excellentiam, qua reddantur digni adoratione, ut diximus num. 98. cumque eam excellentiam non habeant omnes homines, exinde non sunt proximè capaces talis adorationis. Rursus cum pura capacitas satis non sit, sicuti ut aliquis honoreretur ut Sacerdos, satis non est, quod sit capax Sacerdotij; sed ulterius requiritur ad eam respectivam adorationem Patriæ, quod applicata sit homini ad hunc finem divina excellentia; cumque excellentia divina non sit ita applicata hominibus, ut experientia ipsa, & praxi Ecclesiæ nobis constet; exinde dici non potest, quod omnes homines possint licitè adorari adoratione lacriæ; at divina bonitas applicata est omnibus viatoribus, omnibus Sanctis, & Beatis, ut possumus illos propter Deum amare, ut constat à num. 78. unde nulla est paritatis ratio.

Quapropter licet per eandem virtutem Patriæ, per quam Deum colimus propter propriam Dei excellentiam, non colamus homines propter excellentiam Dei; at per eandem virtutem Charitatis, per quam Deum amamus propter bonitatem suam, amamus etiam virtuosè homines propter bonitatem Dei, ut satis constat ex dictis; hancque esse D. Thomæ doctrinam patet ex 2. 2. quæst. 81. art. 4. ad 3. ubi sic habet: ad 3. dicendum, quod obiectum amoris est bonum: obiectum autem honoris, vel reverentia est aliquid excellens; bonitas autem Dei communicatur Creature, non autem excellentia bonitatis ejus; & ideo Charitas, qua diligitur Deus, non est virtus distincta à Charitate, qua diligitur proximus; Religio autem, qua honoratur Deus, distinguitur à virtutibus, quibus honoratur proximus.

DISPUTATIO II.

DE PRÆCEPTO CHARITATIS.

98. **Q**uæstio est de præcepto non quidem negativo, sed positivo, non per accidens, sed per se obligante juxta ea, quæ diximus num. 42. de spe; prima sententia igitur negat, dari tale præceptum Charitatis; ita aliqui, quos citat, & rejicit Castropalao. secunda sententia affirmat; ita communiter Theologij cum Angelico, Scoto, Bonaventura, & Exim. Doct. Circa tempus, in quo urgeat obligatio, est major dissensio inter Authores, ut infra videbimus; ceterum quia non possumus omnia latè prosequi, illa per singulas assertiones breviter dissolvemus, ut & sententiam nostram proferamus, & multitudinem opinionum impugnemus; pro quibus omnibus sit

quid scriptum est? quomodo legis? ille respondens dixit: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex tota mente tua, & proximum tuum, sicut te ipsum, cui Christus: rectè respondisti; sed exinde clarè constat, extare speciale præceptum positivum amoris Dei super omnia: ergo &c.

Probatur 2. ex Alexandro VII. cit. num. 6. de spe, ubi damnat sententiam oppositam, & Innocentio XI. inter sexaginta quinque propositiones damnante 5. quæ sic habebat: *aut peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audeamus*, & 6. *probabile est, ne singulis quidem rigorosè quinquennis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum*, & 7. *tunc solam obligat, quia tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus*; ex quibus certum jam est, extare tale Charitatis præceptum. Confirm. ratione Theologica: finis hominis est Deus, & opera virtutum sunt media ad hunc finem consequendâ; atqui amor mediorum, quæ nobis præcipiuntur adhuc finem, procedit ex amore finis: ergo amor finis, sive actus Charitatis erga Deum primò locò nobis præcipitur; quæ sanè est ratio, propter quam Christus dixit, illud esse maximum, & primum mandatum; unde Theologi merito docent; hoc præceptum esse & naturale, & divinum; naturale quidem, prout lumine naturæ tenemur amare super omnia nostrum ultimum finem nobis à Deo destinatum, qui in hac Providentia est Deus ut Author supernaturalis, sive facie ad faciem possidendus; divinum autem, prout obligamur ad amorem hujus supernaturalis finis ex præcepto à Deo imposto.

SECTIO I.

Resolvitur Controversia.

99. **A**spero 1. cum secunda & vera sententia: datur speciale præceptum positivum amoris Dei super omnia. Probatur 1. ex Sacra Scriptura ubi Matth. 22. quidam Legis peritus Christum Dominum interrogavit: *Magister, quod est mandatum magnum in Lege?* cui Dominus ita Respondit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua; hoc est maximum, & primum mandatum*: atqui dilectio Dei ex toto corde est amor Dei super omnia, & actus positivus Charitatis: ergo datur præceptum speciale positivum amoris Dei super omnia, sive actus positivi Charitatis. Confirm. ex Lucæ 10. ubi Christus Legis peritum interrogavit: *in Lege,*

imposito. Videatur D. Thomas 2. 2. quæst. art. 1. Ex dictis

101. Fit 1. Plures Antiquorum sententias defendi non posse; non enim potest amplius defendi sententia aliquorum, quos citat, & rejicit Moya quæst. 1. num. 16. asserentium, non dari speciale præceptum actûs Charitatis per se respiciens hanc virtutem; neque sustineri amplius potest sententia aliorum, quos citat, & rejicit Castropalao disp. 1. de Charitate. punct. 4. qui asserbant, tale præceptum solum obligare in fine vitæ; constat ex Innoc. XI. cit. num. superiori, non posse extendi obligationem istam ultra quinquennium; ex quo damnata manet sententia Joannis Sanchez, & aliorum, qui dicebant, hoc præceptum semel tantum immediatè obligare; ita, ut qui semel in vita huic præcepto satisfecerit, non maneret amplius obligatus ad præceptum. Propter eandem rationem sustineri jam non potest sententia aliorum, quos suppresso nomine citat, & rejicit Moya quæst. 1. num. 9. qui asserbant, obligationem ad actûs interius Charitatis indirectam solum esse, id est, non ortam ex vi præcepti Domini ad hanc virtutem pertinentis.

102. Quapropter manet etiam damnata sententia, quam docuerunt Bannez 2. 2. quæst. 44. dubio 1. Conclusionem 3. s. alij dicunt, pluresque alij, qui asserbant, eum, qui semel in anno dignè Evcharistiam sumit, adimplere speciale Charitatis præceptum: sic enim habet Bannez locò citatò: *nihilominus dico 2. quod absque scrupulo dici potest, quod, qui dignè sumit Evcharistiam semel in anno, adimplet simul speciale præceptum Charitatis.* Ille namque, qui intra 6. annos non peccasset lethaliter, posset dignè sumere Evcharistiam singulis annis, & tamen non adimpleret Charitatis præceptum, ut constat ex Innoc. XI. quin potius, si peccaret lethaliter, posset accedere ad pœnitentiæ Sacramentum cum sola attritione, & dignè sumere Evcharistiam, quin exinde eliceret actum Charitatis; unde si hoc sufficeret ad adimplendum præceptum, posset licitè ultra quinquennium differri elicientia actûs Charitatis.

103. Fit 2. Præceptum Charitatis non solum obligare aliquando per accidens, sed obligare quoque per se ex vi sua; obligatio per se est ad dicens actum Charitatis, quamvis ex nullo alio titulo distincto à Charitate, vel à præcepto illam respiciente, adveniat obligatio diligendi Deum super omnia; obligatio per accidens est ad rectè agendum alia, quæ hic & nunc sine actu Charitatis rectè agi non possunt; exemplum sit: tenetur aliquis hic & nunc ministrare, aut recipere aliquod Sacramentum vivorum, ad quod requiritur gratia in ministro, & suscipiente; ille autem existit in peccato lethali, nec habet copiam Confessarij; unde si ille in peccato ministret, aut recipiat Sacramentum, peccabit sacrilegè; cum

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

que ad se justificandum, & gratiam recipiendam solum sint duo media, nempe Sacramentum pœnitentiæ cum attritione, vel contritione, aut extra sacramentum sola contritio, vel Charitas perfecta, si in eo casu, in quo non potest suspicere Sacramentum pœnitentiæ, ministraret, aut reciperet illud Sacramentum absque actu Charitatis, aut contritionis perfectæ, peccaret graviter, non quidem directè circa præceptum Charitatis, sed directè circa Religionem; quia ex Religione oritur in eo casu obligatio eliciendi actum Charitatis, sive contritionem perfectam, qua disponatur ad dignè ministrandum, vel suscipiendum Sacramentum.

104. Assero 2. cum Exim. Doct. & communi nostrorum: non obligat hoc præceptum pro primo instanti physico usûs rationis, neque quotiescunque alia præcepta obligant, neque pro quolibet die festo. Probat, quia ejusmodi obligatio sub gravi, neque suavitati divinæ legis, neque humanæ imbecillitati videtur contentanea, ut ipso naturæ lumine notum apparet; neque ulla est ratio, quæ præscribat illud tempus, neque lex ulla divina positiva; etenim dies festi sunt determinati lege humana positiva, quæ per se non determinat de actibus interioribus, nisi quatenus sunt necessarij ad exteriores; omnia autem, quæ exterius perficiuntur diebus festis, perfici possunt sine hoc actu amoris Dei super omnia alia, etiam præcepta obedientiæ, Religionis, fidei, & similia adimpleri possunt sine actu Charitatis; unde imponere diebus singulis festis, aut quotiescunque alia præcepta obligant, præceptum ad eliciendum actum Charitatis, non solum falsum, sed improbabile judicat Exim. Doct. disp. 5. de Charitate sect. 3. quod idem censere videtur de obligatione in primo instanti physico usûs rationis, quis namque Præceptor instruat, ut in eo instanti puer præceptum impleat? profectò ignotum est præceptoribus instans illud physicum, in quo puer ad usum rationis perveniat, ut in eo puer instrui possit, & obedire instructioni, & adimplere præceptum; ergo admitti non potest talis obligatio.

105. Quapropter neque obligat per se Charitatis præceptum positivum, quotiescunque aliquis audit alium blasphemantem contra Deum, neque quoties beneficium magnum à Deo accipit, neque quoties insurgunt tentationes graves odij Dei, ut bene expendunt Exim. Doct. loco cit. Paulus, Leander & alij. Ratio est, quia ut aliquis corripiat, & reprehendat blasphemantem, ita ut consulat honori Dei, non est necessarius actus Charitatis; imò ait Leander, insinuante Castropalao, de Arriaga, quòd homo potest defendere honorem Dei, adhibendo monitionem, & reprehensionem necessariam, & si id faciat ex motivo in alia materia malo, tunc enim honor ille Dei solum requirit, ut illum exterius defendam; de meo autem actu interno amoris Dei nulla obligatio præscri-

F f f f 2

præscribitur eo tempore adimplenda; pariter quando aliquis homo à Deo accipit magnum aliquod beneficium; satis erit, gratias agere eo modo, quo jure naturæ tenetur ad gratias referendas. Ad actum autem gratitudinis non est necessarius actus Charitatis, neque est necessarius ad vincendam tentationem odij Dei; cum dentur plurima alia media, ille enim, qui Deum neque ex Charitate diligit, neque odium habet, certè vincit tentationem odij Dei; ergo in nullo ex his casibus apparet obligatio per se orta ex præcepto Charitatis, neque obligatio per accidens ex fine, & obligatione elicendi actus aliarum virtutum, & propter easdem rationes non obligat per se præceptum positivum Charitatis, quando adultus suscipit Baptismum, vel Evcharistiam; cum totum hoc fieri possit sine amore Dei super omnia.

106. **Asserō 3.** Præceptum positivum Charitatis non obligat per se semel tantum intra quinquennium, sed obligat quoque ingredientibus, & egredientibus è vita pro primo & ultimo instanti morali, imò & pro tota vita semel saltem in singulis annis. Probat̃ur 1. obligatio hujus præcepti desumenda est ex fine, & natura præcepti, atque ex fine, & natura præcepti deducitur obligatio assignata in assertionem; ergo &c. Probat̃ur minor: finis, & natura hujus præcepti est, ut Deum cognoscamus, tanquam primum omnium principium, à quo nos, & omnia nostra dependent; & tanquam ultimum finem, ad quem nos, & omnia nostra reduci debent, ut eo pacto non obliviscamur nimis bonitatis divinæ; sed eam potius contemlemur, & super omnia diligamus; quare assignandum est tempus, in quo teneamur adimplere tantam obligationem; nullum aut tempus potest congruentius assignari ad diligendum super omnia Deum, tanquam primum nostrum principium, quàm in initio usûs rationis moraliter sumpto, neque assignari potest congruentius tempus ad satisfaciendum huic præcepto respiciendi Deum tanquam ultimum nostrum finem, quàm in fine vitæ moraliter sumpto, tandem non potest aliter dici, quòd non differamus nimis divinam bonitatem omnibus aliis rebus præferre, sive illam super omnia amare, nisi illam saltem semel singulis annis super omnia diligamus; ergo &c.

107. **Confirmatur, & explicatur hæc ratio:** non tenetur homo initio physico, sive in primo instanti physico vitæ rationalis ad adimplendum sub gravi istud præceptum, ut diximus num. 113. cum non sit humanæ fragilitati consentaneum, quòd homo sub gravi obligatus maneat ad adimplendū aliquod præceptum, quando naturaliter loquendò non potest habere sufficientem instructionem de tali obligatione, cum enim P. P. Præceptores, aut pastores non possint naturaliter scire, quodnam sit primum instans physicum vitæ rationalis, exinde non possunt naturaliter instruere, & intimatam sufficienter habere talem obligationem,

neque instructio in uno solo instanti physico naturaliter perfici potest; unde necesse est, ut primum illud instans sumatur moraliter, comprehendendo illud tempus, quòd juxta prudentum judicium pro una morali duratione ad talem sufficientem instructionem, & ad moralem hominis operationem comprehendit solet; quod quidem non aliter explicari solet, nisi dicendò esse tempus illud, in quo prudenter loquendò dici non possit magna dilatio. Pariter neque scire potest homo, quodnam sit ultimum instans physicum vitæ suæ, proindeque ultimum instans vitæ rationalis sumi quoque debet moraliter.

Cæterum quia instans morale potest habere majorem, vel minorem latitudinem juxta graviores, vel minus graves circumstantias, majores, vel minores difficultates; hæc omnia quoque consideranda sunt in præsentem; quare secundum morbi malignitatem aliquando videtur gravis dilatio ea, quæ si minor esset malignitas ægritudinis, non perveniret ad gravem dilationem; idcirco sicut in hoc, aliisque similibus casibus non potest fixus terminus universaliter designari ad agnoscendam gravem dilationem; sed assignandus est attentis circumstantiis juxta prudentum judicium, sic etiam dicendum est in casu nostro de initio, & fine vitæ rationalis; si autem intimatò sufficienter præceptò aliquis omitteret actum dilectionis in primo aut ultimo instanti morali vitæ rationalis, peccaret lethaliter contra istud præceptum; quo in sensu intelligendus est D. Thomas, docens hoc præceptum obligare in primo instanti vitæ, & Exim. Doct. docens, obligare etiam in ultimo vitæ instanti; quare sicut ille, qui ad restitutionem tenetur, & potest restituere, licet aliquantulum differat restitutionem, non peccat lethaliter; at peccaret, si ita differret, ut juxta prudentum judicium censeretur dilatio gravis; pariter dicendum est de primo, & ultimo instanti morali vitæ rationalis; atque exinde apparet ex toto vitæ tempore obligare saltem semel in anno; quandoquidem dilatio major ista prudenter censenda esset dilatio gravis.

109. **Probat̃ur 2.** Ad eum modum, quo obligamur ad diligendum Deum super omnia ex præcepto Charitatis, ut uniamur cum Deo primo necessario principio, & ultimo fine, ita obligamur ad suscipiendam Evcharistiam, quæ instituta est ad fovendam præcipue Charitatem, & unionem istam cum Deo; Unde Concilium Florentinum in decreto Eugenij IV. explicans Evcharistiæ effectum, sic ait: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum, & quia per gratiam homo Christo incorporatur. & membris ejus unitur, sequitur, quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augetur, omnemque effectum, quem materialis cibis, & potus quoad vitam agunt temporalem, hoc idem quoad vitam spiritualem hoc Sacramentum operatur.*

ratur: atqui præceptum sumendi Evcharisti-
am obligat saltem semel in anno, ut constat
ex Canone omnes utriusque sexus & definit.
Trident. sess. 13. Can. 9. *si quis negaverit omnes, & singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad omnes discretionis pervenerint teneri singulis annis, saltem in Paschate ad communicandum juxta præceptum S. Marci Ecclesie, Anathema sit*; ergo etiam tenebitur omnis utriusque sexus fidelis, cum ad annos discretionis pervenerit, saltem semel in anno actum Charitatis elicere.

110. Confirm. 1. Sicut Sacramentum Evcharistica tendens præcipue ad fovendam Charitatem est omnium maximum, cum contineat ipsum Sacramentorum Authorem, ita præceptum Charitatis est omnium maximum, ut docet Christus Matth. 22. & dixi num. 106. ergo non est minor obligatio per se orta ex præcepto Charitatis, quam sit obligatio per se orta ex præcepto sumendi Evcharistiam; atqui obligatio per se orta ex præcepto sumendi Evcharistiam obligat saltem semel in anno; ergo & præceptum dilectionis Dei super omnia. Confirm. 2. Non minus obligat Charitas erga Deum, quam obliget Charitas peccatoris erga ipsum; atqui homo peccator tenetur ad expiandam sacramentaliter conscientiam, saltem semel in anno, ut definiunt Concilium Lateranense, & postea Tridentinum sess. 14. cap. 1. ergo etiam obligabit semel saltem in anno præceptum diligendi Deum super omnia. Quapropter sicut homo non satisfacit per communionem, aut confessionem sacrilegam illis præceptis, ut declararunt Alexander VII. & Innoc. XI. ita per actum, qui verè non sit dilectio Dei super omnia, non satisfaceret huic præcepto; nec est, cur homo Catholicus serupulis se torqueat, quia præsumere debet se satisfecisse, dum positivò argumentò non meminit, se hoc præceptum culpate omisisse, ut latè docet Petrus Hurtado disp. 174. sect. 5. subsect. 2. §. 25. & videri possunt Exim. Doct. disp. 5. de Charitate sect. 3. num. 4. Fagundez libro 1. in Decalogum cap. 27. Diana parte 5. tract. 14. resolutione 15. vericulus notandum est, & Leander disp. 2. de præcepto Charitatis quæst. 16.

111. Quamobrem mirum non est, quod D. Thomas 2. 2. quæst. 44. ubi per 8. integros articulos latè agit de præceptis Charitatis, non assignaverit tempus determinatum, in quo sub gravi teneatur homo ad hujus præcepti adimplerionem: satis enim est, quòd dixerit finem hujus præcepti esse, ut homo uniatu Deo; sic enim habet ea quæst. 44. art. 1. in Corpore: *finis autem spiritualis vite est, ut homo uniatu Deo, quod fit per Charitatem; unde ex obligatione ad stabiliendam, renovandam, aut restituendam istam unionem; quæ quidem obligatio ex prudentum judicio desumenda est, ita, ut moraliter dici non possit gravis dilatio, inferenda est quoque obligatio adimplendi il-*

lud præceptum; idcirco Exim. Doct. disp. 5. de Charitate sect. 3. ita concludit; quare qui per multos annos non exercet hunc amorem, delinquit contra hoc præceptum, quantum verò futurum sit hoc tempus, prudentiæ relinquendum est; exinde autem, cum habeamus fundamenta gravia ad judicandum prudenter præceptum istud obligari in primò & ultimo instanti morali vitæ rationalis, & semel saltem in anno, ut constat ex num. 113. dicendum est, non posse ultra annum protrahi istam obligationem.

SECTIO II.

Solvuntur opposita.

Objicies 1. contra 1. Assertionè: præceptum speciale de dilectione Dei non continetur in Decalogo, sicut nec præceptum speciale de dilectione proximi: sed non est admittendum præceptum de dilectione Dei, quod non contineatur in Decalogo: ergo non est admittendum tale præceptum de dilectione Dei, quod per se obliget. Resp. conc. maj. & neg. mi. quia licet non contineatur in præceptis Decalogi, continetur in aliis Scripturæ locis adductis à num. 106. ex quibus assertio nostra definita est à summis Pontificibus, ut constat ex num. 117. unde præcepta de dilectione Dei, & proximi sunt quasi præambula ad Decalogum, cum ab illis universa lex pendeat, & propheta, ut ait Christus Matth. 22. qui enim Deum super omnia diligit, & proximum sicut se ipsum, nullum Decalogi præceptum transgredietur, quamvis præcepta Decalogi observari possunt absque actu speciali Charitatis Dei super omnia, ut tradit D. Thomas 1. 2. quæst. 100. art. 1. Quapropter in tribus primis præceptis Decalogi solum continetur obligatio non quidem diligendi Deum super omnia, sed honorandi Deum adoratione Latriæ, juramentò, & observatione festorum; unde hæc præcepta non quidem ad Charitatem, sed ad Religionem pertinent; in reliquis verò septem Decalogi præceptis non continetur expressè obligatio diligendi Deum super omnia; nam præter quartum, quod præcipit honorare parentes, cætera præcepta Decalogi sunt negativa.

Objicies 2. Joannis 14. dicitur, *qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*; & ad Rom. 17. *Plenitudo ergo legis est dilectio*; ergo dilectio præcepta est observantia mandatorum Decalogi, proindeque non est aliud speciale præceptum de dilectione Dei super omnia. Confirm. 1. Si daretur tale præceptum Charitatis, obligaret ad amandum Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus, ut habetur Deuterono. 6. sed ita amare Deum in hoc vita est impossibile juxta

Augustinum, & Bernardum: ergo &c. Confirm. 2. ex Div. Gregorio Homilia 20. in Evangelia, ubi ait: *verè enim Deum diligimus, si mandata ejus custodimus*, & ex Augustino Sermonem 13. de tempore: *Dei verò dilectio in observatione mandatorum ejus tota consistit*: ergo non est speciale præceptum de dilectione Dei ultra præcepta Decalogi. Resp. conc. ant. & neg. conseq. quia ex illis testimoniis solum inferitur, actum Charitatis præceptum erga Deum reperiri extra Decalogum, talémque esse, ut ex se impossibilis sit cum transgressione alicujus præcepti, eò quòd actus dilectionis Dei super omnia sit impossibilis cum peccato lethali, & peccatum lethale committatur transgrediendò quodcunque præceptum Decalogi; unde ex illis testimoniis potius inferendum, quàm negandum erat hoc speciale Charitatis præceptum; quin potius Cornelius à Lapide censet, in illis testimoniis sermonem esse de observatione mandatorum ex motivo placendi Deo, quod est motivum Charitatis; unde inferitur præceptum Charitatis esse quasi præambulum ad præcepta Decalogi, ideòque nos aliquando teneri actum illum Charitatis elicere. Ad 1. Confirm. dist. maj. ex toto corde, mente, & viribus appetitativè, conc. intensivè, neg. maj. & dist. pariter mi. neg. conseq. ut constat à num. 284. de virtute pœnitentiæ. Ad 2. Confirm. conc. ant. & neg. conseq. quia Gregorius, & Augustinus in illis testimoniis loquuntur de observatione omnium mandatorum, quorum primum & maximum in lege mandatum est de dilectione Dei, ut diximus num. 106. ideòque non loquuntur de solis præceptis Decalogi, sed etiam de præambulis, aliisque Decalogum consequentibus.

114. Objicies 3. contra 2. Assertionem: si pro primo instanti physico usus rationis non obligaret Charitatis præceptum, contingere quidem posset, quòd puer ad primum instans rationis physicum perveniens committeret aliquid veniale, proferendò scilicet officiosum mendacium, & quòd cum tali peccato veniali, & simul cum originali è vita discederet; supponimus enim puerum, illum non esse baptizatum, neque subire martyrium; unde si non eliciat actum Charitatis, manet cum peccato originali contracto, & simul cum veniali commisso; sed hoc dici non potest, quandoquidem tali puero è vita decedenti non esset locus destinatus; non quidem cælum, aut purgatorium, cum ibi nullus cum originali peccato ingrediatur, non infernus, cum ibi solum ingrediatur, qui decedit cum lethali commisso; non quidem limbus, quia cum ibi non sit pœna sensus, qua puniendum est veniale peccatum, non potest dici locus destinatus tali puero: ergo &c.

115. Ante responsonem nota: hoc argumentum æquè pugnare contra Adversarios; nam licet daretur obligatio eliciendi actum Charitatis in primo instanti physico usus rationis, si con-

tingeret, quòd actus ille committeretur ex defectu plenæ deliberationis, quæ potest & solet esse venialis, ut bene notat Sanchez lib. 3. de præcepto Decalogi, jam tum puer in eolatu è vita decedens habebit originale, & veniale; quare Adversarij etiam respondere teneantur, quin potius, si supponeretur hæc obligatio pro primo instanti physico usus rationis, & aliquis puer in eo primo instanti eam invincibiliter ignoraret, ut contingere potest non solum inter Barbaros, verum etiam inter Christianos; quandoquidem plures eam obligationem pro primo instanti negant, tunc puer omittens actum dilectionis non peccaret mortaliter, & tamen posset proferendò verbum officiosum peccare venialiter; quærimus ab Adversariis, quem locum haberet puer ille è vita discendens? quidquid ipsi respondeant, responsum dabunt, & solutionem argumento, quod effortant contra nostram assentionem.

Resp. igitur cum Exim. Doct. tomo. 4. in 3. partem disp. 11. num. 18. Coninch. disp. 24. de Charitate dub. 3. num. 41. Castropalao, & aliis, omitto maj. & neg. mi. quia ille puer lymbum adiret, ibique pateretur peculiarem aliquam pœnam; aut æternam valde levem, videlicet perpetuam aliquam displicentiam sui, aut confusionem ex illa macula in se cognita, vel pateretur temporalem aliquam pœnam graviolem, usque dum per satisfactionem deleteretur veniale commissum juxta ea, quæ tradit Coninch. tomo. 2. dub. 6. dixi *omittedo majorem* quia ut docet Sanchez citatus num. superiori, licet casus ille contingere posset in alia providentia, non tamen contingere potest in præsentia Providentia, quia ad divinam providentiam pertinet non permittere in hoc statu talem casum propter rationem adductam in argumento; hæc autem responso etiam inventa solum videatur ad solvendam præsentem difficultatè; probabilius tamen dicitur, ait Coninch, quàm illud, quod Adversarij per argumentum probare conantur.

117. Objicies 4. Quando quis audit alium contra Deum blasphemantem, tenetur defendere honorem Dei: ergo saltem pro tunc obligat præceptum divinæ Charitatis erga Deum. Confirm. ratione proximi periculi proprii tenemur in articulo mortis apponere medium, quo nostram salutem protegamus, & à periculis liberemus: sed tale medium est sola dilectio Dei super omnia, qua liberamur à casibus fortuitis; si nempe ille, qui absolvit, non esset verè Sacerdos, aut non haberet intentionem absolvendi: ergo saltem in articulo mortis obligat præceptum divinum diligendi ex Charitate Deum super omnia. Resp. conc. ant. & neg. conseq. quia defensio honoris Dei potius spectat ad Religionem, quam ad Charitatem Theologicam; unde defensio illa honoris Dei fieri potest, quin eliciatur actus Charitatis; proindeque ratio illius non obligat per se præceptum Charitatis, ut constat ex num. 112, quin potius si ratione

ratione illius aliquando obligaret, jam ea non esset obligatio orta per se, sed per accidens, ex dictis num. 110. Ad Confirm. conc. maj. & dist. min. est actus Charitatis per se præceptus, nego, per accidens, conc. mi. & nego conseq. Itaque in articulo mortis ex duplici titulo tenemur ad eliciendum actum Charitatis Theologicae, primo ex Charitate erga Deum ultimum nostrum finem, & hanc obligationem respicit per se præceptum Charitatis Theologicae, ut diximus à num. 113.

118. Secundo obligat etiam in eo articulo ex Charitate erga nos, verum hæc obligatio non est per se orta ex præcepto Charitatis erga Deum; sed per accidens, quia Charitas erga Deum consideratur ut medium necessarium ad Charitatem erga nos; neque obligatio illa Charitatis erga nos obligat imputabiliter pro semper, sed tantum quousque est moraliter sumus de ejus adimplerione, sicut obligant similia præcepta; quandoquidem adimplerio obligationis faciendæ est ab homine more humano, qui non aliam materialem certitudinem exigit, quàm moralem; si enim homo maneret imputabiliter obligatus, quousque certitudinem metaphysicam haberet de securitate salutis, obligandus esset ad eliciendum singulis instantibus actum perfectæ Charitatis, quod conditioni humanæ consentaneum non est; sic non tenetur ægrotus in articulo mortis ulterius confiteri, si certus moraliter est de validitate Sacramenti, nec alia habet peccata, quæ rectè confessus non sit, licet non habeat metaphysicam certitudinem de Sacramenti valore.

119. Objicies 5. contra 3. Assertionem: imponere obligationem ad eliciendum actum Charitatis in primo, & ultimo instanti morali vitæ rationalis, & insuper semel saltem in anno est nimis durum, & absque fundamento dictum: ergo sententia nostra admittenda non est. Confirm. Hucusque solum declaratum est ab Innoc. XI. non posse actum Charitatis ultra quinquenium omitti absque transgressione hujus præcepti; at declaratum hucusque non est, quòd debeat elici in primo, & ultimo instanti morali vitæ rationalis, & insuper semel saltem in quolibet anno; ergo neque asserenda nobis est ejusdem obligatio. Resp. neg. ant. nam ad hoc asserendum sunt gravia fundamenta, quæ dedimus à num. 113. quin potius, si Deus à primo instanti usus rationis puerum jam ad suam amicitiam vocat, quin illius indigeat, si tot, & tanta illi promittit ex sola sua bonitate, quin puer in obsequium Dei quidquam impenderit, quomodo censendum est durum, quod ei tam facilis correspondentia præcipiatur? Videatur Leander tract. 6. de Charitate disp. 2. quæst. 28.

120. Ad Confirm. conc. ant. & neg. conseq. quia licet nostra sententia hucusque ab Ecclesia definita non sit, habemus nihilominus rationes, ex quibus probabilior nobis apparet, quàm opposita; quin potius ex hoc capite nec

sententia nostra nec tenendum non esset ante Innoc. XI. obligare præceptum illud intra quinquenniū, cum usque ad illud tempus non ita expressè definitum esset ab Ecclesiastico neque tenenda esset modò Adversariorum sententia, negans hanc obligationem, cum ab Ecclesia non sit ea sententia hucusque declarata ut certa; addo, quòd juxta declarationem Ecclesiæ in aliis præceptis majoribus argumentum bene urget ad præceptum omnium maximum; si enim Ecclesia in aliis præceptis minoribus, quæ ex se expressè tempus non determinant, declaravit obligare semel, saltem in quolibet anno, ut constat de præceptis annuæ Confessionis, & Communionis; qua ratione id ipsum negari potest de præcepto omnium maximo, quantum ad obligationem semel saltem in quolibet anno? quantum verò ad obligationem in primo, & ultimo instanti morali vitæ rationalis, id ipsum constat ex natura præcepti omnium maximi, quod ducit nos non solum ad Deum nostrum conservatorem, sed etiam ad ipsum, ut primum nostrum principium, & ultimum finem; cæterum contra hoc ultimum

Objicies 6. Finis præcepti non cadit sub præceptum: atqui finis præcepti est Charitas, ut habetur prima ad Timoth. 1. *finis autem præcepti est Charitas de corde puro, & de conscientia bona, & de fide non ficta*: ergo, eò quod Deus sit primum principium, & ultimus finis, non exinde admittenda est obligatio præcepti Charitatis in primo, & ultimo instanti morali vitæ rationalis. Confirm. Si obligatio per se orta ex Charitatis præcepto comprehenderet primum, & ultimum instans morale vitæ rationalis, deberet etiam comprehendere per se plura alia tempora singulis annis, in quibus hoc præceptum graviter obligaret; aliter intra annum non darentur plura instantia moralia: sed hæc tempora non ita comprehenduntur: ergo neque primum, & ultimum instans morale vitæ rationalis. Resp. dist. maj. finis præcepti non cadit sub præceptum, si sit finis extrinsecus, qui à materia præcepti distinguitur, conc. si sit finis intrinsecus, cujus materia est actus circa ipsum finem, nego maj. & dist. pariter mi. neg. conseq. quia licet actus Charitatis sit finis extrinsecus aliarum virtutum, ideòque non cadat sub præceptum ex vi aliarum virtutum; at non est finis extrinsecus, sed intrinsecus respectu Charitatis, cujus est materia, & operatio vertans circa ipsum finem Charitatis: unde per se cadit sub præceptum Charitatis. Sic expressè D. Thomas 2. 2. quæst. 44. art. 1. ad 1. *Ad 1. ergo dicendum, quòd sicut supra dictum est, quando de ceteris præceptis ageretur, modus dilectionis non cadit sub illis præceptis, quæ dantur de aliis actibus virtutum, puta sub hoc præcepto: honora patrem tuum, & matrem tuam: non cadit, quòd hoc ex Charitate fiat, cadit tamen actus dilectionis sub præceptis; Videatur Exim. Doct. disp. 5. de Charitate sect. 1. num. 1.*

Ad

121.

122. Ad Confirm. neg. maj. quia postquam creatura conversa est ad Deum primum suum principium, & ultimum finem, obligatio imponenda ex Charitate reliquis temporibus talis est, ne homo dicatur diu differre talis actus elicientiam, & ne dicatur minus curare dilectionem erga Deum, quam dilectionem erga se; cum autem hanc dilectionem erga se per Sacramentum penitentiae, & sumptionem Eucharistiae curare debeat semel saltem in anno, juxta Ecclesiae praecepta, nec Ecclesia hucusque strictius hæc praecepta contraxerit, non est cur nos strictius contrahamus hoc praeceptum Charitatis erga Deum; si autem Ecclesia aliquando eam obligationem in illis praeceptis magis contraxerit, tunc certe habebimus magnum fundamentum ad contrahendum etiam in isto praecepto; quod autem sit maximum omnium, non arguit obligationem frequentius illud adimplendi, sed adimplendò illud per se initio vitæ rationalis ex motivo nobilissimo, quod non habent alia praecepta; nam Eucharistia, quantumvis per se obliget in fine vitæ, non tamen obligat per se initio, & sine vitæ rationalis, sicut praeceptum Charitatis; immò potius praeceptum annuæ Confessionis obligat prius, quam praeceptum Communionis, ut constat ex ipso usu Ecclesiae; hic oportune notandum est, nos hucusque locutos esse de praecepto Charitatis erga Deum; si enim aliquis interroget, an obliget etiam praeceptum Charitatis erga proximum: Resp. affirmativè; tenemur enim diligere proximum non solum actu externo, sed etiam interno, ut constat ex propositione damnata ab Innoc. XI. quæ sic habet: *non tenemur proximum diligere actu interno, & formali, & 11. praecepto proximum diligendi satis facere possumus per solos actus externos.* Videatur Cardenas tomo posthumo disp. 11.

123. Objicies 7. Quantumvis homo ex praecepto Charitatis erga Deum non teneretur Deum diligere, nisi semel saltem singulis annis: at si sit in lethali, & non accedat statim ad Sacramentum penitentiae, tenetur in primo instanti moraliter sumpto elicere contritionem perfectam ex Charitate erga se ipsum: ergo obligatio per se eliciendi actum Charitatis, major est, quam semel singulis annis. Probat ant. Christus Dominus sæpè præcipit in Evangelio, ut peccator paratus sit ad adventum Filij hominis, ne imparatum inveniat, si repente accedat; sic Matth. 24. Marc. 13. & Lucæ 8. *Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet;* in quibus verbis Ambrosius, Hieronymus, Teophylactus, & alij agnoscunt praeceptum: sic Augustinus Epist. 80. *vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum inveniat Domini adventus,* tum etiam S. Leo Magnus de Jejunio 10. mensis ad illa Verba Lucæ 21. *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra &c. & superveniat in vos repentina dies illa,* ait, quod præ-

ceptum dilectissimi ad vos specialius pertinere cognoscimus: ergo &c.

Confirm. 1. Deus indixit peccatoribus vigilantiam, & præparationem, *ne superveniat in vos repentina dies illa:* sed ut observat Exim. Doct. disp. 1. de fide sect. 1. num. 2. omnia, quæ in Scriptura proponuntur sub comminatione æternæ damnationis, posita sunt sub rigoroso præcepto: ergo præparatio pro quocunque instanti, pro quo adveniat mors illius, qui existit in peccat, præcipitur à Domino sub rigoroso præcepto. Confirm. 2. Ille, qui subitò moritur imparatus, & æternam damnationem incurrit, dignissimus est vituperio, & reprehensione, eò quod non se præparavit, tempestivè non reducens se ad statum justificationis; ergo peccavit in eo, quod non se præparavit, ac proinde cum materia sit gravissima, peccavit lethaliter; unde ille, qui committit peccatum, & non accedit statim ad Sacramentum penitentiae, ut possit cum attritione justificari, tenetur in primo instanti morali elicere contritionem, qua justificetur. Hæc sunt præcipua fundamenta, quibus movetur Cardenas tomo posthumo disert. 7. ad asserendam hanc peccatoris obligationem. Cæterum, quamvis totam istam doctrinam permitteremus, nihil officeret assertioni nostræ; quandoquidem hæc obligatio supervenit accidentaliter ex peccato, & ex Charitate hominis erga ipsum, non ex Charitate hominis erga Deum; de quo est nostra Controversia, nihilominus quia doctrinam hujus Authoris falsum esse judico,

Resp. ad argumentum, neg. ant. ad probat. distinguo ant. præcipit juxta quantitatem negligentiae, conc. supra negligentiae quantitatem neg. ant. & conseq. Ratio est, quia Christus Dominus per illa verba solum obligat hominem sub gravi præcepto, ut se parat, quando adest periculum proximum, amittendi vitam ipsi peccatori prudenter cognitum, vel quando eadem longa mora negligentiae, qualis est ex sensu Ecclesiae illa, quæ prorahitur ultra annum; præceptum enim à Christo sub gravi impostum, & de quo S. Patres, & Expollitores aliquando loquuntur, solum tendit ad instans proximum mortis, vel ad longam negligentiae moram; ad negligentiam enim levem solum se extendit sub periculo remoto sub levi; quanquam enim nullam securitatem vitæ habeamus, possimusque mori in quolibet instanti, neque Cardenas neque ullus Adversarius asserat hanc obligationem gravem pro quocunque instanti physico; unde quamvis supervenire possit in quocunque instanti morali, non bene inferitur ea obligatio gravis pro quocunque instanti morali; aliter si ea contingentia vitæ satis esset, ut homo diceretur esse in proximo mortis periculo, non solum teneretur homo justificari, sed etiam fumere Eucharistiam, quam in proximo periculo mortis teneretur sumere: immò cum in eo proximo periculo pos-

fit peenitens absolvi ab omnibus peccatis & reservatis, postea peccator tunc absolvi à quocunque Sacerdote ab omnibus peccatis & reservatis, quod dici nequit; idcirco quamvis illa peccatoris negligentia, quæ in eò casu levis est, sit venialiter culpabilis, si invincibilis ignorantia non excuset, cum reverà sit difformis naturæ rationali, ut rationali; utque de tali veniali possint intelligi Verba Christi & expostorum, juxta quantitatem negligentiam, nullum est fundamentum grave ad asserendum, esse obligationem sub lethali in quacunque sive longa, sive non longa mora negligentiam: exinde

Ad 1. Confirm. dist. maj. ne superveniat in vos repentina dies illa, in qua homo damnandus sit à justo Judice propter quamcunque negligentiam, N. propter peccatum commissum & non remissum, sive propter novum etià peccatum negligentiam gravis. Con. Maj. & dist. min. neg. conf. Verba enim Eximii Doctoris non alio modo ab ipso afferuntur, nisi modo, quo à nobis explicantur: etenim Exim. Doctor disp. 15. de poenitentia Sect. 5. cum communi Theologorum latè defendit, non obligari peccatorem sub gravi ad apponendum statim medium justificationis, neque agnoscit extrà periculum proximum mortis, vel occasionem accedendi ad Sacramentum vivorum, aut aliam similem in peccatore obligationem, ad expiandam conscientiam, nisi semel in anno juxta præceptum Concilii Lateranensis & Trident. ex quo habemus, negligentiam protractam ultra annum esse gravem negligentiam. Unde omnia, quæ in Scriptura proponuntur sub comminatione æternæ damnationis posita sunt sub gravi præcepto, quando propter illam obligatur comminatio æternæ damnationis. Quare cum Adversarius non probeat indici talem comminationem propter quamcunque negligentiam, & non potius peccatum commissum & non remissum, vel propter negligentiam gravem, exinde Auctoritas Exim. Doctoris valde inutiliter offertur ad rem præsentem.

Ad 2. Confirmat. dist. antec. dignissimus est reprehensione juxta negligentiam quantitatem. Con. supra quantitatem negligentiam. neg. antec. & conf. Ratio est, quia licet homo malè agat perseverando in peccato lethali, ac proinde dignissimus sit reprehensione propter suum lethale peccatum, & etià propter negligentiam juxta quantitatem negligentiam; at non committit nova lethalia propter quamcunque negligentiam, sed solum propter gravem; quòd à ab omnibus res ita debeat explicari, ratio mihi clarissima est ex ipsa praxi, nullus etenim Adversarius cognovit hucusquè in peccatoribus tot peccata mortalia, quot fuerunt moralia instantia, in quibus perseverarunt in peccato, multo minus agnovit tot lethalia, quot fuerunt instantia physica pro quibus militant, eadem Adversarii rationes, ut expendentem constabit, quandòquidem contingit mortis non solum adest in instantibus mortalibus, sed etià in quocunque instanti physico, hæc autem praxis & communis Catholicorum sensus est optima regula ad intelligenda ea Scripturæ Patrum, & Interpretum testimonia ab Adversariis adducta, ut agnoscamus ea non tendere ad imponendam obligationem gravem propter quamcunque negligentiam, sed ad admonendum peccatorem, ne quandò nox accedat, inveniatur cum ea gravi culpa commissa & incurrat penas æternas, & simul ad significandum prohiberi negligentiam quærendi remissionem peccati juxta negligentiam quantitatem; unde ut ex negligentia inferamus novam culpam lethalem, opus est, ut aliquo gravi præcepto inveniatur prohibita ea negligentia, sicquè evadat gravis. Talis esset negligentia protracta ultra annum, cum habeamus præceptum obligans peccatorem ad validam peccatorum confessionem semel tamen in anno; quod verò non est præceptum prohibens sub gravi talem negligentiam, non est cur nos in ea negligentia agnoscamus
novum lethale peccatum.

F I N I S.

